

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4850

Auteur(s) : François de Mont-Berger [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1248

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

François de Mont-Berger, chevalier, confirme une donation faite à l'abbaye de Bonport, puis fait don à l'église de Saint-Maclou de Rouen de 1000 livres, et de 200 écus à l'église de Saint-Éloi-des-Prés.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CLXXIV, p. 177-179.

Texte établi d'après a

Notum sit, presentibus et futuris, quod ego Franciscus de Monte Bergerio, miles, confirmavi, et gratum habui, quatuor acras terre quas dedit pater meus, Johannes, abbatii Sancte Trinitatis, sitas juxta montem dicti loci, et pariter redditum feodi sui et terre de Bono Portu juxta Bucum Accardum, abbatii Beate Marie de Bono Portu et monachis ibidem Deo servientibus, excepta tamen pensione unius panis et semi potus vini, percipienda una quaque hebdomada in eodem monasterio, cum libertatibus et privilegiis domus et terre de Monte Bergerio. Et propterea quod ecclesia Sancti Maloy Rothomagensis, nativitatis mee locus, est fere una parte funditus demolita ob vetustatem, et precipue mea capella Sancti Johannis Baptiste, juxta ejusdem ecclesie parietes, in qua privatum omnibus est monumentum domus mee de Monte Bergerio et successorum meorum, sicut in capella nostra Beate Marie Consolationis et Sancti Firmini, sita in ecclesia Sancti Eligii de Pratis, et pro participatione bonorum spiritualium que fiunt et fient de cetero in eisdem ecclesiis, quam participationem rectores et thesaurarii michi misericorditer concesserunt, dedi et concessi Deo et Beate Marie et dicte ecclesie Sancti Maloy mille libras turonensium, et ecclesie Sancti Eligii bis centum nummos ad memoriam annualem uxoris mee, tumulatam in mea capella Beate Marie Consolationis et Sancti Firmini, in puram et perpetuam elemosinam, pro salute anime mee uxoris, et Johannis, nepotis, et omnium antecessorum et successorum meorum ; et capellanis meis, scilicet capellano Sancti Johannis Baptiste unum hortum et parvam domum quam habeo in dicta parrochia Sancti Maloy, juxta parvum rivulum, sicut se proportionat in longum et latum. Item duas acras terre, scilicet prima apud Molendinos, secunda in valle Sancti Gervasii. Item quinquaginta solidos, annui redditus, percipiendos in domo mea Rothomagi, et prandium in die Nativitatis Domini nostri et Pentecostes annuatim, cum capellano meo Beate Marie Consolationis et Sancti Firmini, cui pariter dedi quinquaginta solidos annui redditus, habendos in eadem domo mea Rothomagensi. Item decem solidos in domo dicta La Quille, sita in parrochia Sancti Eligii. Item tres vergas terre apud villam dictam Le Homme, juxta viam regis ad Fierville. Item unam vergam terre et ultra, sitam apud de Boudevilla. Item unam acram terre et ultra, in Valle Marromme, quoniam dicti capellani tenebuntur, quolibet anno, scilicet capellanus Sancti Johannis Baptiste, celebrare unam missam pro salute anime mee unaquaque hebdomada, et capellanus Beate Marie Consolationis et Sancti Firmini in diebus festis Beate Marie Virginis, Sancti

Johannis, Petri, Pauli, Martini, et omnium apostolorum evangelistarum unam missam, hora quinta, annuatim, et dare pauperibus quinque denarios in festis Beate Marie, et celebrare tres missas, una vice solum, in dictis locis du Homme, Boudeville, et Marromme, seu in ecclesia Sancti Gervasi Rothomagensis, pro pauperibus defunctis. Omne quod donum et redditum supradictum, sicut se proportat, dedi et concessi ; tenendum et possidendum libere et pacifice, tanquam puram elemosinam, dictis nostris capellanis et successoribus suis, de me et heredibus meis, sub patronatu et presentatione mea, successorumque meorum. Hoc ad donum dictus Franciscus et heredes mei tenemur garantizare dictis capellanis contra omnes gentes. Et ut hoc ratum et stabile permaneat, presens scriptum sigilli mei munimine confirmavi.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo.

Testibus hiis : Lodoïco de Fontanella ; Jacobo du Neufbourg, et Johanne de Monte Bergerio.